

si obtinenti, numeraretur. Proximo anno Sveciam & Norvegiam v. c. Deo visitare debeo. Heri literas de Orenburgo mense Septembri a Pallas datas accepi. Multa animalia, quadrupeda aves amphibia & insecta detexit, piscium mentionem hand facit. Falkia tetraspis, Anabasis cretacea, Salicornia & Cheiranthus tartaricus inter plantas maxime considerari merentur. His vale Vir perillustri, bona salute & longa senectute vigore stipata frui, sic me amare quod pergas certus sum. Vale. Dabantur Hafniæ festinante calamo. d. 1. Junij 1770.

a Monsieur Mons^r Charles de Linné Chevalier de l'Ordre de Nordstjerne medecin premier du Roi, Professeur à l'Université & Membre des toutes les Sociétés des Sciences d'Europe a Upsala

hermed en Bog og en liden Eske med Insecter mærkede L.

(50) Viro perillustri & Celeberrimo
Nobilissimo Equiti D^{no} Carolo de Linné
S. pl. d.
Brünnichius.

Succanas musas, naturæ & artis officinas septentrionales invisere aggrediuntur crastino die Comites de Reventlau duo eorumque amicus Doctor Wendt, triumvros hos eximios, morum suavitate & scientiis æque spectabiles excipias, sum persuasus, pro amicis, pro doctis & magna eruditione pollutibus. Tantis valent ingenii & judicii dotibus ut dubius hærerem si alicujus animum & animam mihi expetere liceret. Vellem ut in eorum societate Sueciam aggredi possem, sed hactenus nondum fuit concessum. Exponent illi, quæ meæ et totius Scientiæ sunt vel esse possunt fata. Collectionem regiam olim in arce Charlottenburg a caro tuo & beato Holmio collectam tandem Dni Ascanii curis datam Universitati nostræ obtulit Rex; nondum hic allata expectatur, Fabricius Professor Oeconomiae in Univ: Hafn: itidem est constitutus; incertus hæreo ipse utrum in officio perseverare liceat,